



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Alexander M. 13. Maii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

signanus, qui EPIPHANIO adoptato, eundem sibi generum desponderat, ægrè ex his pedicis extricandum, nisi eas Tryphonis & filix mors incidisset. Cōmodum deinde equitanti Lucianus Monachus se obtulit, qui ad pauperis preces, veste se exspolians, extemplo togam puram è celo accepit. Et causa EPIPHANIO fuit, ut se homini induendum permetteret, Numine tam propitio, ut Episcopus ad Iustrium fontem properantis vultum radiare, coronamq; imminere capiti cerneret. Latis initiis vita omnis consentanea fuit. Famem, sitim, morbos, dæmones, mortem, ceteraq; orbis mala nemo eo potentiùs coercuit. Hæreses pestem his omnibus capitaliorem filo confixit. Miretur viventis miracula Juventus, unū modò, quod iam exanimis edidit, imitetur. Improbum hominem, nudum corpus inspicere tentantem, calce à se repulit, verecundiæ etiam post mortem retinens, quæ hodie ferè omnium virtutum prima moritur. *Ex Metaphr.*

S. ALEXANDER M. 13. Maii.

NOS, quæ te voce possumus, Christiane miles, excitamus; ALEXANDRVM enim ad certamen pro fide subeundum Angelus animavit, & adversus Maximiani tormenta invictum præstitit. Sed & Pamenia mater, raro
in

in foeminâ exemplo, cælesti hortatori succinuit, ex Italiâ in Thraciam abducti, & iter omne suo sanguine nobilitantis filii comes. Præconio illius ad illustriora passim tribunalia Christum prædicantis, quidquid inter Italiam Asiâque interest, revixit, & relanguescentes Christianorum animos fortissimi juvenis sanguis ad pares ausus accendit. Diu pulchrius hominibus Angelisque spectaculum præbitum non fuerat, neque contineri vel hi vel illi potuere, quin identidem applauderent certanti. Omnia passum, quæ Tiberiano Præsidi furoris ingenium dictavit, caput à Cælestino carnifice abscissum est, sed ferrum stringere non antè auso, quàm Angeli beati Martyris satellites, ipsomet deprecante, paulò longius ab ejus latere secederent. Corpus in flumen projectum canes extraxere; bini ex iis matri obviam progressi nobilis thesauri indicium fecerunt. Functam ultimo pietatis officio de cælo filius est allocutus paratæ mercedis sponsor. Dolendum, ALEXANDRI hujus verè magni virtutibus parem scriptorem non obtigisse, sed illud amplius, tam paucos habere imitatores. *Ex Metapir.*